

h. n. II, 99.

h. 3, 16.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,
DE

CONCORDATIS
GERMANIÆ,

QVAM

CVM POSITIONIBVS CONTROVERSIS
EX VTROQVE IURE,

IN PER-ANTIOVA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,

EX DECRETO ET AVTHORITATE

INCLYTÆ FACVLTATIS
IVRIDICÆ

PRO LICENTIA

SVMMS IN VTROQVE IURE HONORES, PRIVILEGIA
ET GRADVM DOCTORALEM

RITE ET SOLENNITER ADIPISCENDI

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORE

AD DIEM XXII. MAJI ANNO M DCC XXXVII. HORIS CONSVETIS

PUBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT

JOACHIMVS HVNOLD,

INSTIT. CLE. SÆC. IN COMM. VIV. SACERDOS, AA. LL. ET PHIL. MAG.

ECCLES. S. CRVCIS ERFORDIÆ PAROCHVS,

RESPONDENTE

DN. VALENTINO PETZ,

J. V. AVDITORE.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

II k

4330



DISSERTATIO IN AURIS IURIDICIS
DE

CONCORDATIS GERMANIAE

QVM POSITIONIBVS CONTRARIIS
EX VIROQUE IURE



4.
A.

JOACHIMVS
DE VALLENTINO PITA



§. I.

*De origine Concordatorum
Germanicæ.*



D capescendam meliorem notitiam de
subjecta disputationis meæ inauguralis
materia, concordatorum nempe per
quàm utile duxi, quædam de origine eo-
rum in medium adducere, accidit enim
tempore Eugenii IV. Pontificis Max. ut
cum tota propemodum christianitas eidem tanquam
Christi in terris Vicario debitam exhiberet submissio-
nem, & obedientiam, sola Natio Germanica tergiver-
faretur, ob diversa à Statibus Germaniæ contra curi-
am Pontificiam concepta gravamina; quorum non-
nulla Sigismundo Imperatori anno 1416. in Concilio
Constantiensi ab his statibus exhibita, quæ avisamenta
Constantiensia vulgò appellarunt; aliqua iterum tem-
pore Concilii Basileensis anno 1440. Moguntia in
publico Conventu deliberata, eidemque Sigismundo

A 2

por-

porrecta sub nomine avifamentorum Moguntinensium. Maximam verò querulandi causabant ansam Germanis tot à Pontificibus decretæ reservationes, dignitatum, ac beneficiorum Ecclesiasticorum, tam Generales, quàm speciales Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Regularium, & Cæterarum, quibus per electionem, aliàs provideri consueverat, tam per Extravagantes *ad Regimen, & Execrabilis*, quàm per Regulas Cancellariæ investæ, per quas provisionibus, & gratis expectativis, tum ab ipso Pontifice, tum ab ejus legatis jura patronatum, & electionum identidem turbari, atque indies magis, ac magis coarctari querebantur. Quibus præ occupata Natio Germanica tempore Concilii Basileensis (quod tamen legitima authoritate sua dissolverat Eugenius Papa) in diversas inclinabat partes, quidam enim præfatæ nationis Principes, ut ut jure dissoluto dicto concilio & in eo illegitimè electo Felici V. Antipapæ adhærebant, alii cum Friderico III. Imperatore neutrius partes sequentes, neutrales dici amabant; quo Schismate perdurante ordinarii Collatores non attentis Pontificum Reservationibus pro arbitrio suo conferebant beneficia teste Bzovio in annalibus ad annum 1444. Hanc igitur periculis undique plenam ac infelicem Ecclesiæ scissuram alto revolvens animo Eugenius Papa, in tempore opportunum excogitare conabatur remedium, quo nationem Germanicam funesto hoc Schismate involutam rursus ad debitam cum Romana sede concordiam, unionem, atque obedientiam perducere valeret: misit proinde Alcefatus Pontifex Thomam Sar-

Sarzanensem, postea summum Pontificem Nicolaum V. dictum, Joannem Carvajales Doctorem Juris, postea S. R. E. Cardinalem S. Angeli, & Nicolaum Cusanum Theologum post similiter S. R. E. Cardinalem in Germaniam, qui Francofurti anno 1446. cum Imperatoris Friderici Austriaci Legatis Alberto Marchione Brandenburgensi, Petro Augustensi, & Sylvestro Chimensi Episcopis, item Casparo Schlik Cancellario, nec non cum Electoribus Theodorico Moguntino, Theodorico Coloniensi, Jacobo Trevirensi Archi Episcopis, Ludovico Comite Palatino, Jacobo Marchione Badensi, Oratoribus Ducis Saxoniae, & Friderici Marchionis Brandenburgici in Marchia Brandenburgica residentis, Friderico Magdeburgensi, Friderico Salisburgensi Gerardo Bremensi Archi Episcopis, Joanne Mersburgensi, Petro Naumburgensi Episcopis, & deputatis à Concilio Basileensi, Ludovico Arelatensi, aliisque nonnullis Doctoribus praesente Aenea Piccolomineo alias Sylvio nuncupato Friderico Romanorum Regi à Secretis, postea S. R. E. Cardinale, & demum Pontifice Pio II. dicto, convenerunt, atque speciali divinâ favente Clementiâ eò Procures Inclytæ Nationis Germanicæ induxere, ut rejecta neutralitate, & Antipapâ Felice V. unanimi consensu Eugenium IV. pro vero Pontifice agnoscendum esse concluderint, dummodo tamen non nulla nationi Germanicæ praecipue inter alia circa provisionem beneficiorum à summo Pontifice caeteroquin nimium rigorosè reservatorum indulgeret: quæ dum agerentur, divinitus contigit, ut Eugenio IV. vitâ functo in Pontificatu anno 1447.

Iur-

surrogaretur Thomas Sarzanus cognomento Nicolaus V. Eugenii antecedenter ad Cæsarem ac status Germaniæ legatus, Pontifex pacis, & quietis amantissimus. Hic profirmiore pace, & tranquillitate Ecclesiam inter, & Inclytam Nationem Germanicam conservanda per Joannem S. Angeli Diaconum Cardinalem legatum à latere cum Friderico Imperatore, & aliis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus Principibus prædictæ Nationis in Comitibus Aschaffenburgensibus die 17. februarii anno 1448. qui ab Electione ejus primus fuit, famosam, ac perpetuam transactionem conclusit, quæ concordata nationis Germaniæ vulgò nuncupantur, ex eo, quod per eadem Goncordia quædam fuerit inita inter duas partes scilicet Pontificem, ac Imperatorem, Principesque Germaniæ, quæ deinde de consilio, & assensu Cardinalium Romanæ Ecclesiæ speciali bulla, quæ incipit *ad S. Petri sedem* approbata, & ratificata sunt, quæ bulla tenoris est sequentis.

NICOLAUS PAPA V.

AD sacram PETRI sedem Divina dispositione sublimati, singulis, quæ pro universalis Ecclesiæ unione, ac pace & tranquillitate profutura conspiciamus, Apostolicæ providentiæ sollicitudine libenter intendimus, & ad felicem eorum profecutionem & consummationem, opem, & operam impendimus efficaces.

Num. I. Nuper siquidem charissimus in
Chri-

Christo filius Noster FREDERICVS Romanorum Rex Illustris, & nonnulli alii dilecti filii Ecclesiastici, & Seculares Principes inclytæ Nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius Noster JOANNIS S. Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apostolicæ Sedis de latere Legatus, per Nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper à Nobis & Sede Apostolica auctoritate suffultus, ex alia partibus, Rom. Ecclesiæ & dictæ Nationis nominibus, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace & tranquillitate, inter Ecclesiam & Nationem prædictam perpetuò solidandis & conservandis, diversa rationabilia & utilia ordinationes & statuta, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata, & Concordata fecerunt, ac ediderunt, Nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia, robur Apostolicæ firmitatis adjicere, nec non auctoritatem potiore, & decretum interponere dignaremur.

II. Nos itaque, qui statuta, ordinationes, & Concordata prædicta per nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostis S. R. E. Cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis, & literaturæ

ræ

ræ Viros, diligenter examinari & discuti fecimus, eaque rationabilia & salubria tam Ecclesiæ, quàm Nationi præfatæ fore comperimus; de dictorum, & aliorum Venerabilium Fratrum Nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, Apostolicâ auctoritate, & ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, juxta modum & formam subsequentes.

III. Placet Nobis super Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque provisionibus, uti juris scripti reservationibus & *Execrabilis. & Ad regimen.* constitutionibus modificatis, ut sequitur. Ad Regimen Ecclesiæ generalis, quamquàm immeriti, superna dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per Nostræ diligentiae studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & monasteriorum regimina, & alia beneficia Ecclesiastica, juxta Divinum beneplacitum, & Nostræ intentionis affectum, Viri assumantur idonei, qui præsent & profint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque

que consideratione inducti, & suadentibus Nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus & Officia, nec non Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, secularia, & regularia, quæcumque & qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocumque modo vacantia, & in posterum vacatura, nec non per depositionem, vel privationem, seu translationem per Nos, seu Auctoritate Nostra factas, & in antea faciendas ubilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi, sive postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio, & admissa Auctoritate Nostra extiterit, seu quorum electorum, vel postulatorum, & in antea eligendorum, seu postulandorum electionem cassari,

B

seu

seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti per Nos, aut Auctoritate Nostra continget apud Sedem prædictam, vel alibi ubicunque: ac etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ Sedis, quam diu ipsa officia actualiter tenebunt (videlicet Vicecancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditoris literarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum Literarum Apostolicarum, & vigintiquatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & viginti quinque Abbreviatorum, nec non verorum commensalium Nostrorum, & aliorum vigintiquatuor Capellanorum sedis ejusdem in epitaphio descriptorum) & etiam quorumcumque Legatorum seu Collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum, ac Thesaurariorum deputatorum, seu missorum hætenus, vel deputandorum, aut mittendorum in posterum, nunc vacantia, & in antea vacatura, ubicumque dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores, & Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint, rebus

bus eximi contigerit ab humanis: nec non quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsitan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit: ac etiam simili modo quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmitatis seu recreationis, vel alia quacumque causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsitan decefferint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel in posterum vacatura; rursus Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, Decanatus, Administrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas, & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura, vel sine cura, quæcumque & qualicumque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu

B 2

quem-

quemvis alium modum assumi, quæ promoti per Nos, seu Auctoritate Nostra ad Patriarchalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocumque modo vacantia, aut in posterum vacatura, nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonicatum, Præbendarum, Ecclesiarum, aut beneficiorum aliorum per Nos seu Auctoritate Nostrarum Literarum immediatè collatorum, seu conferendorum in posterum, præterquam, si virtute gratiæ assecutio fiet, nunc vacantia & in antea vacatura, plena super præmissis omnibus & singulis cum Fratribus Nostris collatione præhabita, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni Nostræ de ipsorum Fratrum consilio, Auctoritate Apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis & quolibet eorum, per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

IV. Item placet Nobis quod in Metropolitanis, & Cathedralibus etiam immediatè non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus constitutionis fel. recor. NICOLAI Papæ III. quæ incipit, *Cupientes* &c. spectabimus, & elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ, minùs canonicæ fuerint, providebimus; eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causâ, ac de dictorum Fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, provisò, quod confirmati prædicti, & per Nos provisivi Metropolitanis suis & aliis præstent debita juramenta & alia, ad quæ de jure tenentur, Et in Monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione & provisione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur: ipsaque Regularia beneficia sub gratis expectativis

omni
B 3
non

non cadant. Ubi autem pro Monasteriis ad dictam Curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus, vel providebimus, quàm superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de Monasteriis monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

V. De cæteris verò dignitatibus, & beneficiis quibuscumque secularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes prædictas (majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis) de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet; placet etiam Nobis, quod per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quamcumque verborum forma, per Nos, vel Auctoritate Nostra factam, vel faciendam, non impediemus Nos, quò minus de illis, cum vacabunt de *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris* mensibus, liberè disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio

fitio pertinebat, reservatione, aliave quavis dispositione auctoritate Nostrâ factis vel faciendis, non obstantibus quibuscumque. Quoties verò aliquo vacante beneficio in *Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris & Novembris* mensibus specialiter dispositioni dictæ Sedis reservatis, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo Apostolicâ auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit. Et ad finem, ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam Nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerunt, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem à Kalendis *Junii* proximè futuris, ipsa currere incipiet, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum.

VI. Placet similiter Nobis, quod circa provisionem dictæ Sedis ordinandam, modus Annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis
Cathe-

Cathedralibus omnibus, & Monasteriis Viro-
rum duntaxat, vacantibus & vacaturis, solvan-
tur de fructibus primianni à die vacationis
summæ pecuniarum in libris Camerae Aposto-
licæ taxatæ, quæ communia servitia nuncu-
pantur: & si quæ excessivè taxatæ sunt, reta-
xentur, & quod provideatur specialiter in gra-
vatis regionibus secundum qualitatem rerum,
temporum & regionum, ne nimiùm prægra-
ventur, ad quod petentibus dabimus Com-
missarios in partibus, qui diligenter inquirent
& retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media
parte infra annum à die habitæ possessionis pa-
cificæ totius, vel majoris partis solvantur, &
pro alia media parte infra annum bis vel pluri-
es vacaverint, semel tantùm solvantur, nec de-
bitum hujusmodi in successorem in Ecclesia,
vel Monasterio transeat. De cæteris verò Di-
gnitatibus, Personatibus, Officiis & Beneficiis
secularibus, ac regularibus quibuscumque,
quæ auctoritate dictæ Sedis conferentur, vel
de quibus providebitur (præterquam vigore
gratiarum expectativarum, aut causa permu-
tationis) solvantur Annatæ, seu medii fructus
juxta

juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur: duretque; hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius Nationis consensu contingat immutari.

VII. In aliis autem, quæ per fel. rec. EVGENIVM Papam IV, etiam Prædecessorem Nostrum pro dicta Natione usque ad tempus futuri Generalis Concilii permessa, concessa, indulta & decreta, ac per Nos confirmata fuerunt, in quantum illa Concordiæ præsentis non obvient, istâ vice nihil volumus esse immutatum. Et per hoc, quod in Concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis literis, propter compendiosiores descriptionem Alemannia specialiter appellatur, Natio ipsa censeri non debet à Germanica Natione distincta, seu quomodolibet separata.

VIII. Et prætereà quia difficile foret præsentibus literas ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostoli-

C

stoli-

stolicâ auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto Metropolitanorum dictæ Nationis sigillo munito, tanquam præsentibus, si exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ præsentibus literæ forent exhibitæ, vel ostensæ. Et insuper quoque irritum & inane, si secus super his à quocumque quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

IX. Nulli ergò omninò hominùm liceat hanc paginam Nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo, quadragesimo septimo. Kalend. Aprilis. Pontificatus Nostri anno secundo.

§. II.

De beneficiis Ecclesiasticis vigore concordatorum Germaniæ summo Pontifici, & respectivè ordinariis reservatis.

Quantùmvis diversæ olim tam in, quam extra corpus Juris extiterint beneficiorum reservationes, manus ordinariorum collatorum ligantes, ut iis ea conferendi libera potestas non fuerit, nullam tamen de facto aliam ex iis pro Germania dari autumo, nisi quæ in concordatis cum inclyta hac natione initis exprimuntur, & comprehenduntur; siquidem in prædictis concordatis §. V. expressè cavit Nicolaus V. Pontif. Max. in verbis: *per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma, per Nos, vel Auctoritate nostra factam, vel faciendam, reservatione, aliave quavis dispositione auctoritate nostrâ factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque se nolle impedire liberam Ordinariorum collationem: ex quo colligitur, nullam amplius reservationem in corpore Juris, extravaganibus, vel regulis cancellariæ comprehensam de se vim reservandi habere, nisi in concordatis Germaniæ speciatim renovatæ, & confirmatæ inveniantur.*

Renovantur autem in iis reservationes in extravag. ad Regimen quæ extat inter communes de præbendis, & execrabilis ibidem: hæc posterior extravag. confirmatur



matur in concordatis *cap. placet nobis* in princip. in qua extravagante Johannes XXII. statuit *§. qui vero deinceps*. qui deinceps receperint dignitatem, vel personatum vel officium, aut aliud beneficium, curam animarum habens annexum, si ante simile beneficium obtinebant, non solum illo ipso jure privati sint post obtentam possessionem secundi, sed etiam tunc statim primum dimittere debeant coram ordinario: alioquin etiam secundo sint ipso jure privati: quæ omnia & singula beneficia vacatura vel dimissa sedis Apostolicæ collationi, & quidem absque modificatione in concordatis sunt renovata & acceptata.

3. Extravagans ad Regimen cujus Author est Benedictus XII. itidem in concordatis *cap. 1. placet nobis* confirmata est cum quibusdam tamen ut dicitur modificationibus, & quidem vigore hujus reservantur summo Pontifici omnes Ecclesiæ Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales, Monasteria, Prioratus, dignitates personatus, & officia, nec non Canonicatus, præbendæ, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum vel sine cura, sæcularia & regularia quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, si apud sedem Apostolicam eadem vacare contigerit. Vacare autem apud sedem, & in curia Romana hic probabilius idem sunt, utut aliqui in hoc differre statuunt, quod vacatio apud sedem tantum inducatur per mortem, vacatio verò in curia etiam aliis modis. Siquidem hæc synonyma esse colligitur *ex cap. licet 2. de præbend. in 6. ubi: Clemens III. cum prius vetuisset,*

tuisset, ne Ecclesias, & beneficia quæ NB. apud sedem deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, conferre alicui præsumeret, mox subjicit exceptionem: nisi sit ei super iisdem conferendis in curia vacantibus specialis & expressa auctoritas ab ipso Pontifice attributa. Quæ exceptio si in curia & apud sedem vacare non foret idem, apertè foret inepta, quia esset de re à regula generali diversa.

Tunc autem in curia vacare dicitur dignitas, aut 4. beneficium, quando vacat in loco, ubi cancellaria Pape, ubi causarum audientia, & literarum apostolicarum est expeditio; quibus accensenda sunt beneficia quorumlibet ut ait extravagans pro quibuscunque NB. negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta curia ultra duas diætas legales non distantibus jam forsitan abierunt, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit. Hic notes velim extravagantem reservare duntaxat beneficia eorum, qui negotiorum causa ad Romanam curiam venerunt, proinde beneficia Romam peregrinationis, devotionis, aut curiositatis causa venientium inter reservata non computantur. Per distantiam duarum diætarum intelligitur iter bidui, computatis pro die viginti milliaribus Italicis. arg. L. Vicena l. ff. si quis cautio. sive quatuor aut ad summum quinque milliaribus germanicis. Hæc autem reservatio beneficiorum vacantium in curia non durat ultra mensem, ita ut, si intra mensem à die vacationis induta Papa non providerit, ordinarii collatores obtineant facultatem ea conferendi c. statutum 3. de præbend. in 6to. PIRRHING. in Jus Can. tit. de præbend. & dignit.

dignit. PICHLER. n. 62. eod. idque factum, ne alioquin beneficia Ecclesiastica fortè, ob ignorantium subiectorum qualificatorum, (quibus ea per Papam conferenda forent) diutiùs vacarent; & carentes legitimo Administratore in Spiritualibus, ac temporalibus rebus interrim Ecclesiæ paterentur detrimentum. REIFFENSTVEL. tit. de præbend. & dignit. n. 439. ex quo patet, cùm constitutio dict. cap. 3. à Gregorio X. edita sit in favorem Ecclesiarum, ne in suum præjudicium diu destitutæ sint Administratore, & non in odium Papæ differens vel omittentis conferre beneficium, ordinarios elapso mense computando à die vacationis beneficii, illud posse conferre saltem cumulativè, etsi toto mense Papa de vacatione illius nihil sciverit. unde non obstat argumentum ex C. licet 3. de supplend. negligent. Prælat. & cap. 5. de concess. præbend. desumptum ubi tempus semestre, ad collationem beneficiorum inferiorum concessum, non à die vacationis, sed à notitia computandum dicitur. quandoquidem hoc semestre in odium principaliter negligentium conferre beneficia præfixum est. unde meritò computandum dicitur à die notitiæ de vacatione beneficii, cum ignorans inculpabiliter desidie & negligentie argui nequeat. & hoc tempus unius mensis præfixum in cit. cap. 3. non est per Extravagant. ad Regimen vel concordata correctum aut revocatum, ut aliqui opinantur; nam in dict. Extravag. solum abolentur constitutiones reservationi beneficiorum in curia obstantes; capitulum autem statutum 3. de præbend. in 6to. huic reservationi nullatenus obstat, sed solum in favorem Ecclesiarum eam modificat. quæ modi-

modificatio Ecclesiis favorabilis nullibi invenitur revocata, sed potius per concordata, quæ præcipuè etiam favorem Ecclesiarum intendunt, confirmata. Ab hac reservatione beneficiorum apud sedem vacantium, excipiuntur specialiter Ecclesiæ Parochiales, si vacante sede Pontificia, eas vacare in curia contigerit, vel quæ vivente Pontifice vacaverunt, sed de illis Papa ante obitum suum non disposuit; hæc enim ordinariorum collationi permittuntur à Bonifacio VIII. *cap. si Apostolica 35. in 6to.* ne diuturna earum vacatio Ecclesiis sit damnosa & periculosa, & cum hæc dispositio sit specialis, & animarum favorem concernens, per *extravagant*: generalem ad *Regimen* non est correcta.

Secundo reservantur dignitates ac beneficia vacantia per depositionem, vel privationem vel translationem autoritate sedis Apostolicæ factas, & faciendas ubilibet addidit *extravagans ad Regimen*, reservationem etiam obnoxias esse beneficia, quæ vacatura essent per muneris consecrationis suspensionem, sed hæc in concordatis non reservantur. *PIRHING ad tit. de præbend: n. 357.* ad hanc classem reservatorum pertinent dignitates & beneficia, ad quæ aliqui in concordia vel discordia electi, sive postulati sunt, quorum tamen electio cassata, seu postulatio repulsa, vel si per electos facta renuntiatio, & admissa sit per sedem Apostolicam. *3tio* reservantur beneficia Cardinalium, legatorum Papæ, aliorumque officialium curiæ seu sedis Romanæ, vacantia per eorum obitum. Et hoc indistinctè secundum *extravag. ad Regimen.* at in concordatis hæc reservatio patitur limitationem, ut solum procedat ad
tem-

tempus, quamdiu officia actualiter tenebunt. Id circo si depositio officio moriantur, reliqua eorum beneficia ex hoc capite non manent reservata; pro secundo, in concordatis specificantur officiales certi, scilicet Vice Cancellarii, Camerarii septem, Notarii, Auditor literarum contradictorum, veri commensales Pontificis, viginti quatuor Capellani ejusdem sedis in Epitaphio seu albo descripti & alii in concord. §. *placet Nobis*. ibidem expressi: in Extravagant: autem reservantur beneficia omnium officialium, Capellanorum, & commensalium abstrahendo, an veri vel titulares, seu fictione Juris tales sint.

6. *Quarto* reservantur omnes dignitates & beneficia sæcularia & regularia, cum cura & sine cura qualiacunque, etiamsi ad ea per electionem personæ consueverint promoveri, quæ immediatè à sede Apostolica promoti ad majores dignitates, uti sunt: Patriarchales, Archi- & Episcopales, uti & Monasteriorum regimina, tempore promotionum obtinebant, & pro nunc vacant, aut imposterum vacatura, nec non vacantia per affectuionem pacificam quarumcunque dignitatum vel beneficiorum à Papa vel autoritate litterarum apostolicarum immediatè collatorum, vel conferendorum imposterum, *præterquam si virtute gratiæ expectatiivæ affectio fiat*: ab hac tamen reservatione excipiuntur promoti ad Episcopatus solum titulares in partibus scilicet, siquidem cum illi Episcopatum suorum possessionem & administrationem non obtineant, & per eos non stet quo minùs illos consequantur, dici nequit illorum beneficia vacare. *Quinto* reservantur beneficia

beneficia quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque de causa ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas diætas ab eadem curia non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) contigerit, de medio submoveri, per obitum hujusmodi vacantia vel imposterum vacatura: atque hæ sunt reservationes, quæ in dictis extravagantibus continentur, & in concordatis renovatæ & confirmatæ suo modo inveniuntur.

Porro reservat sibi summus Pontifex in iisdem 7. concordatis §. *de cæteris*. in Ecclesia Cathedrali dignitatem proximam Episcopali, & principalem in quavis collegiata nisi per speciale privilegium exemptæ forent. SCHMALZGRVB. *tit. de præb. n. 242.* & quàmvis concordata utantur plurali numero, dum afferunt. *dict. §. de cæteris majoribus dignitatibus*, communis tamen DD. opinio, & interpretatio est, non nisi unam in prædictis Ecclesiis dignitatem esse reservatam. BARBOSA *p. 3. alleg. 57. n. 100.* SCHMALZGRVB. *dict. loco.* atque ita pluralem numerum in singularem esse resolvendum, vel numerum pluralem hic respicere pluralitatem Ecclesiarum, ut sensus sit. Majorem dignitatem post pontificalem, & principalem in dictis respectivè Ecclesiis reservari. Demum in eodem hoc §. *de cæteris*. reservat sibi Pontifex collationem dignitatum & beneficiorum quorumcunque, si sequentibus sex mensibus, qui papales dici consueverunt, vacaverint, nempe Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, & Novembri, si

D

au.

autem reliquis mensibus accidat vacatio beneficiorum, relinquunt concordata Collatoribus ordinariis liberam dispositionem in beneficiis omnibus, quæ in sæpe dictis concordatis non reservantur; prout etiam in iis generaliter conceditur Germanis libera electio Canonica, Archi-Episcoporum, & Prælatorum Regularium, ita tamen, ut electorum confirmatio (nisi sint Prælati regulares non exempti) petatur à Papa, quam is concedet, nisi ex rationabili, & evidente causa de persona utiliore, & digniore de consilio Cardinalium putaverit providendum.

§. III.

*Resolvuntur quædam dubia de alternativa beneficiorum collatione
occurrentia.*

- I. **S.** Sedes Apostolica in concordatis reservando suæ collationi beneficia in Regula IX. (quæ olim erat VIII.) reservationi obnoxia, hoc benigno, & liberali moderamine erga nationem Germanicam uti dignata est; ut non solum pauciores pro alternativa sua collatione determinaverit menses, sed etiam concessit inferioribus beneficiorum collatoribus, ad quos alias dispositio circa beneficiorum collationem spectare non scitur, facultatem; ut quoties (verba sunt concord. §. de cæteris) aliquo vacante beneficio in dictis §. præcedenti in fine, mensibus specialiter dispositioni §. Sedis reservatis, non apparuerit infra tres menses, à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo
apo-

apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit. animadvertendum autem est ad sensum dictorum, si non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii. verba si non apparuerit non appellare supra illa, in loco beneficii, sed verba in loco beneficii conjungi cum verbis immediatè antecedentibus notæ vacationis juxta declarationem Gregorii XIII. in sua constit. quæ incipit: *que in Ecclesiam.* anno 1576. ut sensus sit. tunc jus illius beneficii conferendi firmum esse penes ordinarios, si intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii numerandos non appareret alicubi, saltem alicui de illo provisum esse à Papa; unde subjungit citatus Pontifex, declarando, quod ordinarii aut alii collatores non possint post lapsum trium mensium ejusmodi vacantia beneficia conferre; *si de illis intra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam sedem, qualiscunque gratia aut concessio facta sit* vid. hanc declarat. apud LAVRENT. NICOLARTS tit. de Reservat. concord. Germ. dub. XI. si itaque elapso trimestri non appareat ullibi auctoritate sedis apostolicæ alicui provisum esse, Ordinariis competit facultas de beneficio disponendi, etsi Pontifici non constiterit de vacatione. *argum. cap. statutum 3. de præb. in 6to.* quia ne beneficia diutius æquo vacarent, Pontifex in favorem ecclesiarum in concordatis solum expressit tempus vacationis notæ in loco beneficii, nullam faciendo mentionem scientiæ, quare meritò ob concurrentem Ecclesiarum favorem contra eum, utpote *qui legem dicere potuit*

apertius est interpretatio facienda juxta reg. Jur. 57. in 6to.

2. Ob easdem militantes rationes itidem existimo, inferiores collatores etiam sede apostolica vacante, post elapsam trimestre a die notæ vacationis in loco beneficii, jus habere illud conferendi: cum vigore concordatorum absolutè illis tribuatur post elapsam trimestre jus conferendi, & nullibi casus sedis vacantis ponatur exceptus. cui non officit. *cap. si apostolica 35. de præb. in 6to.* ubi statuitur, quod sede apostolica vacante possint quidem collatores liberè conferre parochiales Ecclesias tunc in curia vacantes, non autem alia beneficia apud eandem tunc vacantia: ut idem procedere videatur in beneficiis mense papali vacantibus, verum cum juxta concordata in favorem Ecclesiarum indistinctè relinquatur collatoribus inferioribus potestas conferendi beneficia in mense papali vacantia, si intra tres menses non apparuerit, à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui apostolica auctoritate provisum fuerit; prout sede apostolica tamdiu vacante, non apparet, jure merito ordinarii iis elapsis beneficia taliter reservata conferunt. paucis: ordinariis vi concordatorum facultas pro hoc casu reperitur concessa; pro casu autem *cap. si apostolica 35.* adempta. Sed

3. Dices beneficia sede pontificia vacante, si eorum vacatura incipiat in mense papali non sunt obnoxia reservationi, ergo malè dicitur ordinarios sede vacante demum post lapsum. trium mensium jus conferendi habere, cum propter deficientem tali casu reservationem

vationem statim de collatione beneficii disponere va-
 leant. Antecedens uti docetur ab ENGEL *tit. de præ-*
bend. n. 49. SCHMIR, *lib. 3. tract. 1. p. 2. c. 3. Sect. VI. §. 2.*
n. 250. & plurimis aliis: quorum ratio est. quod bene-
 ficia in regulis cancellariæ reservata, ante concordata
 non fuerint reservata, si post obitum summi Pontificis
 inceperunt vacare; ergo nec post concordata pro hoc
 casu censentur esse reservata; quandoquidem con-
 cordata jus conferendi beneficia, quod habebant col-
 latores Germaniæ, non effecerunt deterius, sed me-
 lius. partim etiam quia ex testimonio aliorum DD ordi-
 narii extra Germaniam ubi alia vigent concordata,
 conferunt beneficia sede papali vacante, vacantia; par-
 tim denique quia concordata eam beneficiorum colla-
 tionem propius ad jus commune reducunt, debent
 potius in favorem, quam odium ordinariorum expli-
 ri. Verùm ut ut, hæc sententia specie veritatis fulgeat,
 suisque non sit destituta fundamentis, atque ideo
 etiam in praxi ab ordinariis collatoribus forsitan tan-
 quam probabilis acceptari, & sequi possit. probabili-
 tatem tamen in apice Juris sentio esse contrariam; be-
 neficia nempe sede pontificia vacante in mense papali
 vacantia reservatione affecta manere, ita re ipsa tenent
 BARBOSA, *de offic. & potest. Episc. alleg. 57. n. 67.* NICO-
 LARTS, *tit. 1. dubio 8. §. 14. de Reservat.* siquidem pri-
 mò concordata tanquam species transactionis publicæ
 inita sint inter Inclytam nationem Germanicam, & se-
 dem apostolicam seu Ecclesiam Romanam, & non no-
 mine solius Pontificis in individuo tunc viventis. cui
 insuper accessit approbatio & confirmatio ex certa

scientia, quæ clarè patent ex tenore concordatorum
n. 1. & 2. quæ confirmatio operatur hunc effectum, ut
 dicatur pactum vel transactio non personalis, sed rea-
 lis. juxta *cap. veniens X. de transact.* ergo beneficia in
 concordatis reservata, non sunt solùm reservatione af-
 fecta intuitu Pontificis pro tempore viventis, sed sedis
 Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, qua cum semper per-
 duret, etiam jus ad conferenda beneficia in Germania
 vigore concordatorum sibi reservatum perdurat, ita
 ut à nullo inferiore collatore conferri valeant, usque
 dum nomine alteratæ sedis provisio sit facta, vel tem-
 pus in concordatis pro reservatione decretum, sit ela-
 psum: 2do in concordatis numero V. expressè cave-
 tur, dispositionem concordatorum deinceps duratu-
 ram, nisi de consensu nationis Germanicæ in futuro
 concilio aliter fuerit ordinatum. ex quo inferitur: si
 concordata tam diu sint duratura, & etiam post obi-
 tum Pontificis perdurent, ut Adversarii concedunt; et-
 iam necessariò reservationes concordatorum secun-
 dum tempus in iisdem definitum perdurare debent;
 & sicuti tempore viventis Pontificis beneficia mense
 papali vacantia ita eidem manent reservata, ut validè
 ab inferioribus vigore concordatorum Collatoribus
 conferri nequeant ante elapsum trimestre, ita etiam se-
 de vacante, sedi & Ecclesiæ Romanæ manent reserva-
 ta; cum vigore concordatorum eò modò, quò Ponti-
 fici, eodem & Ecclesiæ Romanæ seu sedi Apostolicæ
 vigore eorundem Concordatorum sint reservata. Quod
 ulterius confirmatur argumento ducto à paritate ratio-
 nis. beneficia apud sedem, seu in curia vacantia, etiam
 sede

fede Pontificia vacante manent juxta Adversarios reservata; quia nempe constitutiones ea reservantes perpetuo durant, ut itaque & dispositio reservativa harum constitutionum perpetuo durare debeat; ità etiam dispositio reservativa concordatorum sede vacante perdurare debet, cum etiam pro tunc concordata in vigore suo perseverent. nec quidquam in contrarium probant argumenta superius adducta. Siquidem ad primum Resp. pulpabilem esse disparitatem regulas cancellariæ inter & concordata: quandoquidem cum cessante lege, cesset & dispositio legis ejusque effectus. Regulæ autem Cancellariæ extinguantur mortuo Pontifice, necessario & earum effectus, seu reservationes in iis contentæ cessare debent, nihil enim firminus est suo basi & fundamento. at vero cum concordata de se perpetua sint, nec cessent, nisi in futuro concilio de consensu nationis Germanicæ abrogentur, eorum quoque effectus & reservationes perdurare necesse est. Quod autem additur, concordata jus inferiorum collatorum non fecisse deterius, sed melius, id verum est: nam in secunda regula Cancellariæ reservantur generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales, Archi-Episcopales, Episcopales, nec non monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, vacantia seu vacatura, è contra in concordatis Germaniæ, si isthæc extra curiam vacaverint, conceduntur de talibus fieri electiones Canonice. Secundò in regula nona Cancellariæ reservantur collationi pontificiæ octo menses: demptis Patriarchis, Archi- & Episcopis, quibus
ad

ad gratificandum, quamdiu apud suas Ecclesias personaliter resederint, conceditur alternativa sex mensium. è contra concordata Germaniæ quibusvis collatoribus inferioribus indistincte relinquunt alternativam sex mensium. Tertio beneficia vacantia in mensibus reservatis perpetuo remanebant reservata, seu affecta; per Concordata autem si post lapsum trimestris à die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit de facta provisione apostolica, inferiores collatores de beneficiis disponere valent. en! hac consideratione concordata jus conferendi beneficia inferiorum collatorum effecerunt melius: nec dici potest illud per hoc fieri deterius, quod sede vacante maneant reservata, nam hoc ipsum fuit ex favorabili perduratione concordatorum & respectu aliorum commodorum nullius est considerationis. Argumentum ab Adversariis deductum à concordatis aliarum nationum profus non obstat; ex diversis enim non fit illatio. *argum. leg. ult. ff. de calumniar. & concessum* in concordatis nationi Germanicæ non potest alia natio facto simili argumento sibi arrogare, ergo nec vicissim Germania. & quàmvis, ut ad ultimum Respondeam, concordata debeant in favorem ordinariorum interpretari, id tamen ita intelligendum esse existimo, quantum id suadet æquitas & ratio in jure fundata; non enim apparet ratio, quare persistentibus concordatis sede papali vacante non etiam persistere debeat dispositio concordatorum? siquidem quam diu manet constitutio Principis, tam diu etiam ejus effectus & dispositio manere debet, ergo etiam quamdiu perseverant concordata,
 etiam

etiam eorum dispositio reservativa circa beneficia per-
severare debet. His itaque prælibatis in theoria & pun-
cto juris probabilius autumo. Antecedens superius for-
matum negandum & inferioribus collatoribus sede va-
cante usque post lapsum trimestre expectandum esse.

Cum supra ex concordatis relatum cæteras digni- 4.
tates, & beneficia qualiacunque pro mensibus papali-
bus Pontifici esse reservata; dubitatur de quibusnam
beneficiis propriè id sit intelligendum; & Respondeo,
subalternativa mensium collatione comprehenduntur
beneficia quælibet propriè dicta, & dignitates, ut ex §.
V. concordatorum dictione universali colligitur, dum
dicitur: *de cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibus-
cunque*: huic tamen reservationi juxta communio-
rem DD. non subjiciuntur beneficia manualia, & Vicariæ
ad nutum revocabiles; quia hæc nomine beneficiorum
in odiosis non veniunt: 2dò. beneficia mensæ Episco-
pali, Abbatiali incorporata, aliave alteri dignitati unita,
quia quoad titulum sunt extincta, nec propriè vacant.
3tiò. nec veniunt beneficia patronatui laico subjecta,
quia dum jura reservant beneficia quæcunque sine ex-
pressa mentione, nec censentur derogare patronatui
laico, & hoc ne facilè laicorum juri contraveniendo,
avertantur ipsi à benefaciendo Ecclesiæ, GLOSSA in
cap. cum dilectus 28. v. presentare & *de jure patronat.*
REIFFENSTVEL *tit. de præb. n. 556.* PICHLER. *eod. n.*
49. & alii passim. Si tamen hoc jus competat laicis ex
fundatione, datione, aut constructione Ecclesiæ, quia
hoc passu illis non competit titulo ecclesiastico, sed quasi
proprio dominio, & titulo oneroso, sicque quasi per
E
viam

viam pacti, & contractus de consensu Ecclesiæ jus illud possident NICOLARTS *loc. cit. dub. 5.* idem est, si laicus unà cum Ecclesiastico habeant jus Patronatûs; quia in re individua quis non debet amittere suum privilegium propter societatem alterius non privilegiati. 4^{to}. Vicariæ perpetuæ, quia Germaniæ concordatis non plura reservantur, quam regulis Cancellariæ, quibus ejusmodi Vicarias non reservari à Rota decisum, testatur *idem, dub. 7. §. 9.* quibus accedit, quod Pius V. in constit. quæ incipit. *ad exequendum* Kal. Novemb. anno 1567. edita, asseruit dictas Vicarias ad nominationem Parochorum, aut aliorum, quibus unitæ sunt, pertinere: Nec obstat, quod à jure disposita in beneficiis parochialibus locum etiam habeant in Vicariis, Ecclesiæ autem Parochiales, nisi per concursum conferantur, vel Juris patronatûs laici sint, reservantur in concordatis, ergo & vicariæ. Non inquam hoc obstat; siquidem hoc intelligendum venit, de iis, quæ personarum capacitatem, ætatem, ordines, residentiam, & beneficiorum pluralitatem respiciunt. BARBOSA *de jur. Eccles. univers. lib. 3. cap. 6. n. 18.* non autem ad illas spectant, quæ earum reservationem vel constitutionem concernunt, quod intellige de Vicariis curatis, non autem de aliis vicariis non curatis, seu beneficiis simplicibus, v. g. choralibus, quæ per beneficiatos & simplices sacerdotes absque cura animarum administrantur, & infimum fermè inter beneficia locum habent, prout & eorum beneficiati; quæ utique si in titulum conferantur, & in Ecclesia numerata sint, sub reservatione vi concordatorum comprehenduntur. 5^{to}.

Huic

Huic reservationi non subsunt beneficia in manus ordinarii quocunque mense resignata ex causa permutationis, hæc enim non aliis, quam permutantibus conferri possunt. Idemque probabilius docetur à DD. de aliis beneficiis purè, & absolutè in manus ordinario- rum resignatis, dummodo sint talia, quæ ipsi aliàs in mensibus non reservatis per obitum vacantia conferre possint. Ita NICOLARTS, *dub. 9. REIFFENSTVEL loc. cit. n. 557.* ratio assignatur, quod etiam in regulis Cancellariæ ab alternativa excipiantur, & collationi ordinario- rum relinquuntur beneficia vacantia per resignationem puram & expressam, concordata autem de his nihil adstruunt, sed abstrahunt, secundum quas itaque concordata videntur tanquam jus antiquius & commune esse explicanda, præcipuè cum per concordata Pontifex conditionem nationis Germanicæ non deteriorem sed meliorem intenderit facere, præsumendum igitur est, Pontificem non intendisse per concordata facultatem ordinariis in regulis Cancellariæ concessam in hoc casu specifico adimere.

S. III.

An summus Pontifex ex plenitudine potestatis suæ possit derogare Concordatis?

Insignis & multum inter DD. agitata oritur quæstio; **I.**
 an summus Pontifex liberè derogare valeat concordatis per hoc; quod addat Rescripto clausulam: *de plenitudine potestatis* & quàmvis PYRRHVS CORRADVS,
 E 2 in

in annexis praxi Dispens. Apostol. de concordatis quæstionibus quæst. 8. asserat. in hac quæstione non esse multum laborandum, qui enim agnoscit Pontificem esse summum Christi Vicarium, & jure divino habere dispensationem & plenissimam administrationem omnium bonorum, ad quasunque Ecclesias pertinentium *C. proponit, de con. præb.* is non dubitabit, sanctitatem suam, ex plenitudine potestatis posse in totum vel pro parte tollere concordata, hoc præcipue ex eo etiam confirmari videtur, quia Pontifex summam suam, & absolutam potestatem, quam accepit à Christo disponendi de rebus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis etiam per speciem contractûs à se abdicare non potest, quin semper penes se majorem adhuc retineat. PICHLER, *tit. de præb. n. 71.* insuper hæc concordata quantum est ex parte Papæ habent se tantum per modum cujusdam privilegii, & meræ gratiæ, unde sicut privilegium revocari potest, ita & concordata. Verumtamen his

2. in contrarium non obstantibus, Respondeo: negativè. siquidem primò Nicolaus V. expressè *s. de cæteris* promisit nomine sedis apostolicæ cum consilio Cardinalium, quod conventa in concordatis deinceps duratura sint, nisi NB. in futuro concilio de consensu nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum, ex quo apparet, quod non per modum puri privilegii, & gratiæ, sed per modum pacti & contractus, qui per mutuum consensum resolvi duntaxat potest, hæc concordata fuerint, inita, atque ex ipso nomine concordatorum satis patet, quod Pontifex cum cardinalibus Ecclesiam, Imperator verò cum principibus rempublicam, & imperium

perium Romano Germanicum, quæ qua talia distinctum corpus constituunt, repræsentare voluerint, per consequens, sicuti princeps de plenitudine potestatis suæ non eximitur, quò minus pacta & transactiones, quæ sunt Juris naturalis servare teneatur, maximè publicas ita nec Pontifex juxta pronuntiatum BALDI ad cap. 1. de natura feudi, Principi Deus quidem leges, non etiam pacta & contractus subjecit. 2dò. Pontifex liberè abrogando concordata ex plenitudine potestatis non ageret satis justitiæ, & recto ordini conformiter juxta *Can. justitiæ 25. q. 1. ibi: justitia ac rationis ordo suadet, ut qui à suis successoribus mandata sua servari desiderat, prædecessoris sui voluntatem ac statuta quoque observet.* Eodem facit 4tò contestatio Julii III. in sua constit. super concordatis Germaniæ in favorem Leodiensium edita 14. Septembr. anno 1554. quæ incipit. *ad perpetuam rei memoriam decet Romanum Pontificem.* eamque adducit NICOLARTS tit. 3. dub. 1. ibi §. 2. nos attendentes concordata prædicta vim pacti inter partes habere, & quæ ex pacto constant absque partium consensu abrogari non consuevissent, neque debere - - - subjungit, *de apostolicæ potestatis plenitudine per præsentis statuimus & ordinamus atque decernimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus iidem ordinarii collatores - - - juxta ipsorum concordatorum continentiam, & tenorem disponere liberè & licitè possint.* & in §. 3. mox infra sequitur. *ac irritum & inane existat, si secus à quoquam super his NB. quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.* Firmum ex hac constitutione Julii Papæ deducitur argumentum. si concordata vim habeant pacti inter partes (hoc

est, inter sedem apostolicam unam, & Inclytam nationem Germanicam alteram partem) etiam de plenitudine potestatis Pontificiæ à placito concordatorum in quod ambæ consensere, invitâ altera parte natione scilicet Germanica summum Pontificem recedere & illi derogare non posse. Pax siquidem, ut dicit *cap. 1. de pact. X. servanda, & pacta custodienda.* & *cap. 3. eod. studiosè agendum est, ut ea que promittuntur opere impleantur.* atque hæc ex ipso fonte juris naturæ suam trahunt originem, quid enim tam congruum est humanæ fidei, quam ea, que inter eos placuerit, servare. dicit VLPPIANVS *l. 1. ff. de pact.* hinc REIFFENSTVEL *tit. de pact. n. 28.* docet, hoc aded verum esse, ut tametsi Princeps sit solutus legibus, *l. princeps ff. de legibus.* nihilominus is obligetur ex pacto etiam cum propriis subditis in *arg. cap. 1. de probat.* aded ut ab eo recedere non possit, etiam NB. de plenitudine potestatis; prout cum aliis notat FAGNANVS in *cap. Antigonus n. 7. tit. de pact.* Ratio est: quia princeps ex pacto obligatur jure naturali ac divino, cui & Papa, & Imperator subjiciuntur, quibus ducti rationibus, Pontifices varii diversis in constitutionibus declarârunt, se nolle quicquam facere contrarium concordatis Germaniæ, & in specie ita declaravit Paulus V. *constit. quæ incipit: ex pastoralis 5. Kal. Aprilis 1613. edita. nec sue unquam mentis, nec Clementis VIII. prædecessoris fuisse, derogare concordatis, & literas a prædecessore suo in præjudicium ordinariorum obtentas, pro ob. & subreptitiis habendas.* Idem apparet ex *constit. Gregorii XIII. publicata 6. Junii 1572. quam exhibet Simonetta de reservat. q. 99. n. 28.* in qua statuit, se quacunque

cunque verborum formâ scripserit, concordata lædere nolle. Quamvis itaque ex his abundè pateat, Sum-
 mum Pontificem etiam de plenitudine potestatis suæ 3.
 pro lubitu suo concordatis derogare non posse, cer-
 tum tamen & evidens est. Eundem ob gravem & ex-
 traordinariam causam ad majus bonum Ecclesiæ ten-
 dentem illis posse derogare, hoc ipsum enim agnovis-
 se paciscentes patet ex eo, quod transigentes concor-
 datis inseruerint, & inseri passi sunt clausulam §. *item*
placet nisi ex rationabili & evidenti causa de digniori & uti-
liori persona duxerimus providendum. cum tamen Ponti-
 fex electiones ad metropolitanas ad cathedrales Eccle-
 sias ante fieri posse concessisset, quia cum finis tempo-
 ralis subordinetur spirituali, hinc quomodocunque pa-
 ciscatur Papa, non potest excludere hanc conditionem,
nisi aliud postulet commune bonum Ecclesiæ, nam in ordine
 ad hoc ipsa concordata sunt erecta, medium enim de-
 finit esse medium, dum obstat fini intento, atque ex
 his ipsis in medium adductis contraria resolvuntur ar-
 gumenta: equidem & ego petrâ firmissimo pro su- 4.
 premo in summo Pontifice tanquam Christi in terris
 Vicario residente potestate supra omnia Ecclesiarum
 beneficia, vigore cujus præsuppositivè & antecedenter
 ad pactum concordatorum solus sibi arrogare potuisset
 facultatem conferendi omnia & singula beneficia
 Ecclesiastica; sed non consecutivè & consequenter ad
 pactum concordatorum, quod quantumvis à principio
 fuerit voluntatis, ex post facto tamen est necessitatis,
 ita ut ei non aliter etiam ex plenitudine potestatis ita
 postulante justitia contravenire possit, nisi id exigat
 ma-

majus bonum Ecclesiæ: secus si facit, non foret tam usus, quam potius abusus supremæ potestatis. *arg. can. pervenit XI. q. 1.*

§. IV.

*An contra concordata Præscriptio
& consuetudo valeat?*

1. **R**estat pro Coronide disputationis meæ quæstio non minus ardua, quam præjudiciosa; an consuetudine vel præscriptione contraria possit concordatis derogari: in negativam communis fermè inclinât DD. opinio; ut videre est apud sæpè cit. LAVRENTIUM NICOLARTS *tit. 3. dub. 2.* qui per longum & latum conatur propugnare Sententiam negativam: huic favent BRANDEN *de concord. Q. 2. n. 4.* COCKIER *Reg. 8. Cancell. n. 7.* PIRHING *tit. de præb. n. 363.* REIFFENSTVEL *eod. tit. n. 541.* aliique plurimi, sequentibus innixi fundamentis:

2. Primò, quod huic præscriptioni desint requisita, videlicet bona fides, titulus, & possessio, propter insertum concordatis decretum irritans, quò decernitur, *irritum. & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari:* hæc enim clausula tantæ est efficaciam, ut inficiat ipsum titulum, possessionem, & bonam fidem non obstante ignorantia, ita ut ne quidam colorem tribuat talis provisio contra concordata facta in possessorio summarissimo manutentionis, quæ omnia clarè probantur ex diversis Pontificum constitutionibus, præcipuè autem Clementis VII. quam adfert REIFFENSTVEL *dict. tit.*

n. 541.

n. 544. quæ incipit. *admonet nos.* edita Kal. Junii ao. 1534. ibi: declaramus prætenfas collationes, & alias dispositiones contra tenorem concordatorum factas, & faciendas nullum titulum vel colorem tribuisse, aut in futurum tribuere, sed & illos pro malæ fidei possessoribus, & merè intrusis ab omnibus haberi; fructus ex iis perceptos nullo unquam tempore beneficio Regularum de annali, & triennali pacifico possessore gaudere potuisse. Similia habentur in constitutione Innocentii X. quæ incipit: *zelo domus Dei.* ao. 1648. 26. Novemb. publicata.

2dò. Concordata Germaniæ sunt juris publici, 3. quæ cum hac natione pro publica pace, & unione sunt inita: indubitata autem Regula est, jus publicæ utilitatis causa conditum, subditorum & privatorum factis mutari non posse. *L. 38. ff. de pactis,* ergo nec subditi nationis Germanicæ sive expressè consentiendo in derogationem concordatorum, sive tacitè per consuetudinem vel præscriptionem se se à nexu concordatorum exuere possunt; quemadmodum similem ob causam nec Clerici expressè nec tacitè fori privilegium à se abdicare valent, quoniam hoc universitatis Clericorum commune est.

3tò. Papa reservando generaliter, derogat omni- 4. bus juribus, statutis, seu consuetudinibus contrariis, & tollit omnem potestatem conferendi, ergo deest consensus principis ad consuetudinem necessariò requisitus. Nec sufficiens est responsio, adesse tacitum & legalem Principis consensum: siquidem is sufficere non videtur ad contrariam consuetudinem vel præscriptionem

F

nem

nem introducendam, quia summus Pontifex interdum tacitè dissimulat, & ex quasi dissimulatione sive conniventia permittit aliquid, quod in se iniquum est, non tamen propterea in illud consentit, nec permittit illud fieri absque peccato, sed ob vitandum majus malum. *C. cum jam dudum 18. de præbend.* ubi ait Pontifex, pluralitatem beneficiorum se quandoque dissimulare, non autem approbare vel dispensare, nam, *multa per patientiam tolerantur, quæ deducta in judicio exigente justitia toleranda non essent.* ergo conniventia, & tacitus summi Pontificis consensus non sufficit, sed expressus adesse debet, qui cum desit, præscriptio vel consuetudo locum hic habere nequit.

5. Verumtamen ut ut sententiæ huic non desint rationes, & Doctorum Authoritates, contrariam tamen ut veriorem, sequentibus motus rationibus amplector, primò quia quæ acquiruntur per privilegium, regulariter etiam acquiri possunt per præscriptionem, saltem temporis immemorialis, modò præscribens sit capax possessionis. Jam verò haud dubiè potest Pontifex per dispensationem vel privilegium immutare aliquid in concordatis contra se, in favorem Germanorum, v. g. indulgendo, ut germani collatores conferant beneficia etiam in mensibus Papæ, ergo & consuetudine vel præscriptione iis derogari potest. Imò de facto Electoralis Domus Bavarica jus præsentandi Clericos ad dignitates & beneficia extra Cathedralis Ecclesias & civitates Episcopales vacantia in mensibus apostolicis præscripsisse refert P. PICHLER *tit. de præbend. n. 73.* allegans Recessum concordatorum cum ordinariis à prædicta Domo Serenissima initorum anno

1583.

1583. ibi: Das jus mit Päpstlicher Heiligkeit Monath;
 so ihr Durchleucht præscribiret. Pariter beneficia cu-
 rata, etsi in mensibus papalibus vacent, & Pontifici
 sint reservata, tamen in pluribus Imperii Romano-
 Germanici locis conferuntur ab inferioribus collatori-
 bus etiam sine concursu, & profectò omnes has provi-
 siones in Germania contra concordata factas damnare
 ut invalidas, durum dicere est: certè si has provisio-
 nes Pontifex quarum non potest esse ignarus tanquam
 validas non agnosceret, teneretur contra eas in specie
 instanter reclamare propter præjudicium & detrimen-
 tum, quod ex talibus nullis & invalidis provisionibus
 resultaret in animas his intrusis illegitimè constitutis,
 consequenter verâ pastoralis potestate destitutis curatis
 subjectas, de quibus tamen reclamationibus & prote-
 stationibus factis non sufficienter constat. 2do. præ-
 scriptio & consuetudo contra Germaniæ concordata 6.
 nullibi reperiuntur inhibita, ergo dicenda sunt esse per-
 missa; & sicut generaliter aliis pactis & legibus con-
 traria consuetudine & præscriptione derogari potest.
cap. 13. & 17. de præscript. ita ex eadem ratione concor-
 datis. Nec Adversariorum intentio sufficienter pro-
 batur per hoc, quod concordatis inserta sit clausula;
*irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis au-
 thoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Quæ
 facit, ut ita omnes actus contrarii irritentur, ut neque
 titulus, neque bona fides, neque possessio, quæ tamen
 ad præscriptionem necessariò præ requiruntur, queant
 suffragari. Juxta declarationem Clementis VII. supra
 allatam. Nam retorqueo argumentum in Extravag.

*ambitiose de rebus Eccles. non alienand. inter comm. habe-
tur decretum irritans alienationem bonorum Ecclesia-
sticorum, & tamen communiter à DD. admittitur præ-
scriptio eorundem. 2do. Clausula irritans est tantum
pars accessoria legis, per consequens sicut potest præ-
scriptio & consuetudo induci contra legem etiam Ec-
clesiasticam. cap. fin. ✕ de consuetud. ita multò magis
contra clausulam irritantem, 3tid hæc clausula & de-
claratio Clementis inficiens titulum, possessionem, &
bonam fidem, est intelligenda in ordine ad præscri-
ptionem impediendam Regulæ Cancellariæ 36. de
triennali possessore; ne adstruatur recessus à jure com-
muni nullibi clarè expressus; non autem de præscri-
ptione immemorali vel longissimi temporis, in qua ne
quidem titulus desideratur, vel saltem sufficit allegare
titulum generalem pro suo, quando ordinarii collato-
res sibi invicem successerunt, & jura ab antecessoribus
suis in se derivata bona fide, quam etiam de tuis an-
tecessoribus præsumere poterant, summo Pontifice, vel
legato ejus non contradicente, retinuerunt. Arg. L. fin.
§. 1. ff. pro suo. GLOSSA in cap. de quarta 4. verbo tueri
de præscript. ENGEL tit. de præscript. n. 23. imò etiam
in præscriptione adversus concordata tam titulus quam
cæteræ conditiones adesse possunt; utpote cum aliquis
putativum privilegium summi Pontificis ostendere, &
illius vigore prudenter existimare valeat sibi compete-
re jus beneficium aliquod apostolicum conferendi.
SCHMIR. ad jus Can. hb. 1. tract. 2. cap. 4. sect. 3. §. 5.
n. 484.*

7. Ad secundum Resp. quamvis subditi privatis pa-
ctis,

Etis, vel statutis nequeant abrogare ea, quæ juris publici sunt, juxta *leg. allegatam*. id tamen possunt præscriptione vel consuetudine, utpote quibus ea est à jure communi attributa vis, ut legem humanam civilem, & Ecclesiasticam tollere valeant, *cap. fin. ✕ de consuetud. leg. 32. ff. de LL.* neque hæc præscriptio vel consuetudo derogatoria tendit in præjudicium supremæ potestatis pontificiæ, vel utilitatis publicæ derogando concordatis ob bonum commune conditis; cum præscriptio centenaria contra ipsam sedem apostolicam à Pontificibus per textus apertissimos *cap. ad Audient. 13. cap. cum vobis 14. cap. si diligenti 17. ✕ de præscript.* sit concessa, & legibus universalibus æque bonum commune respicientibus, præscriptione ac consuetudine particularium personarum ac populorum derogari possit: ut indubitata est omnium DD. sententia. paritas desumpta ab immunitate clericorum, eam nec tacitè nec expressè à se abdicare valentium, nostram magis firmat sententiam, quam Adversariorum: cum etiam contra immunitatem clericorum, quæ equidem juris publici est, diversis in locis introducta sit consuetudo, ut causæ eorum temporales & civiles in foro seculari tractentur. Nec eadem pro hoc casu militat ratio; si enim clericus se subiciat judici seculari, præjudicium causat dignitati status clericalis; beneficia autem ab inferioribus contra concordata lata, papali dignitati neutiquam præjudicant, cum Pontificis scientia & patientia, suffragante longissima vel immemoriali consuetudine ac præscriptione illa conferri fingatur.

Ad tertium Resp. distinguendo. derogat omnibus 8.

F 3

con-

consuetudinibus eo tempore existentibus, conc. futuris. neg. pro quo nota. Si generaliter revocetur consuetudo, abstrahendo à futura, & præsentì, non abrogari futuram, & tempore legis non dum existentem, cum talis lex solùm intendat tollere consuetudinem sibi contrariam: sed consuetudo futura, & nondum existens, non est illi contraria, non entis enim nullæ sunt qualitates, ergo hæc consuetudo non revocatur vel abrogatur, multò minùs per hoc abrogatur consuetudo longissimi vel immemorialis temporis, quæ vim privilegii sortitur. quod autem in hac objectione ulterius asseritur, tacitum nempe & legalem pontificis consensum in ordine ad consuetudinem vel præscriptionem introducendam non sufficere, sed expressum requiri, id contra unanimum fermè Jurisconsultorum est doctrinam; hoc enim si verum esset, vix in republica christiana reperiretur consuetudo legibus Ecclesiasticis contraria, quod manifestè contrariatur experientiæ; dum innumeræ exstant consuetudines in Ecclesia legibus Ecclesiasticis adversæ non nisi tacito seu legali Pontificis consensu inductæ: qui tacitus consensus colligitur ex dissimulatione & conniventia Pape; nisi dissimulatio ex parte Pontificis se haberet præcisè ad evitandum majus malum, ut si permittat quandoque actus juri naturali vel divino contrarios fieri, dum eos commodè ob periculum mali majoris impedire nequit; vel dum tolerat ob dictam rationem actus legi Ecclesiasticæ oppositos, contra quam tamen consuetudo introduci nequit, utpote si à jure communi tanquam corruptela morum reprobata sit; *arg. cap.*
cum

cum jam dudum 18. de præbend. ubi cassata est electio ad præposituram cujusdam Canonici in Ecclesia Siclunensi propter pluralitatem beneficiorum: & quia forsitan Domino Papæ objici potuisset, quare hunc ab obtenta præpositura repellitis ob præallegatam pluralitatem cum plures inveniuntur plurium beneficiorum possessores qui tamen à dignitatibus non amoventur. Respondet Pontifex in fine dict. cap. *multa per patientiam tolerantur, que si deducta fuerint in judicium exigente justitia, non debent tolerari.* In hoc itaque casu specifico tolerantia Pontificis non operatur tacitum consensum in ordine ad introducendam consuetudinem, sed ob unam alteramvè rationem quandoque connivetur. cum consuetudo habendi plura beneficia incompatibilia, & ad congruam sustentationem habito respectu loci & statûs non necessaria reproberetur. Extravag. Execrabilis Joh. XXII. 4. de præb. inter comm. ubi ita sancitur: *unde inter cætera inconvenientia, subscripta nascuntur: quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum, vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicet stipendia, que multis literatis viris vitæ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æqua distributione collata. Divinus Cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur, & dum non sunt sui in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahatur commodis, & honori; que carentes Defensorum auxilio in juribus suis, & libertatibus, multipliciter collabuntur; & ruinis patent ædificia nobilia, que magnificentia extruxerat Decessorum, & (quod amariùs est dolendum) animarum cura negligitur;*

¶

Et vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur: Veritas hæc miserâ & deplorabili experienciâ hinc inde invenitur comprobata, dum non attentâ saluberrima SS. Canonum dispositione variis artibus, Simonis quandoque pallio tectis, aut eblandito magnatum favore, non etiam attentâ promovendi vel necessitate, idoneitate, aut publica Ecclesiarum utilitate, quæ hoc in casu unicè consideranda venit beneficia cumulantur in uno, neglectis & præteritis illis, quos cæterotquin per omnia digniores magisque meritos promovendi justitiæ distributivæ ratio suadet, publicaque animarum & Ecclesiarum consideratio jubet. Patet itaque supra allegatum capitulum loqui solum de casu pluralitatis beneficiorum, quæ in una persona non aliter admittenda, quam si Ecclesiæ necessitas id suadeat, ut si desint idonei Ministri in locis, in quibus aliàs adversæ religioni addicti beneficiis se intrudere conantur. vel Ecclesiæ utilitas, postulet, ut si quis solus putetur magis profuturus Ecclesiæ, etiam absens, sua auctoritate, potentiâ, prudentiâ, doctrinâ, quam alius præsens, vel alii plures. vel demum prærogativa meritum id exigat: ut colligitur ex cap. de multa 28. de præb. Et dignit. ubi asseritur, circa sublimes tamen, Et literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ: cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari. Extra quos casus cum dicta pluralitas neutiquam admittatur, tolerantia Pontificis utique non operatur effectum taciti & legalis consensus; quod tamen ad alios casus, in quibus eadem ratio non apprehenditur, non est extendendum. Atque hæc sunt quæ

quæ de concordatis Inclytæ nationis Germanicæ ventilationi academiæ paucis exponere volui; si quid in hujus contextu minùs accuratè dispositum, elaboratumvè repereris, benevole Lector, imbecillitati humanæ condonabis. & quod si in hac materia concordatorum, quid dictum, quod S. Matris Ecclesiæ consensui, & juri, vel Reverendissimorum Ordinariorum, & Inferiorum Collatorum facultati minùs concordatum, id nec pro dicto, nec pro cogitato habere velim.

COROLARIA.

- I. *Summus Pontifex gaudet potestate condendi leges pro toto Christiano orbe, & quidem independenter à consensu Eminentissimorum Cardinalium.*
 - II. *Potestas legislativa Pontificis extendit se ad actus etiam purè internos.*
 - III. *Causa efficiens legum universalium in Imperio Romano Germanico est Imperator.*
 - IV. *Ad quas consensus Statuum Imperii non concurrit tanquam causa coëfficiens.*
 - V. *Episcopi pro sua diocesi pollent facultate legislativa Papæ tamen subordinata.*
- G
- VI. Ca-

- VI. Capitulum Ecclesie Cathedralis, sede vacante leges condere potest.
- VII. Judex competens Clericorum & in causis Spiritualibus, & temporalibus est Judex Ecclesiasticus.
- VIII. Jurisdictio Vicarii Generalis est ordinaria.
- IX. Vicarius Generalis vi officii generaliter sibi commissi potest omnes causas ad Episcopalem jurisdictionem pertinentes, ac specialem commissionem non requirentes cognoscere, & expedire.
- X. Abstrahendo à quorundam locorum consuetudine, jure merito communis Canonistarum Vicario Generali primam post Episcopum defert prerogativam.
- XI. Invalidè conferuntur beneficia Ecclesiastica, Indignis, & illicitè dum non attentà justitià distributiva beneficia præsertim curata præteritis dignioribus, conferuntur minùs dignis.
- XII. Parochus de jure communi solum pro foro interno gaudet jurisdictione.
- XIII. Jus prædicandi Verbum divinum publicè in Ecclesia parochiali exceptò loci ordinariò de jure solum competit parochò, etsi incorporata sit Monasterio Monialium. XIV.

- XIV. *Jure naturali, Divino, & humano, Pasto-
ribus animarum competit congrua sustentatio,
ejusque defectus obstat bono publico.*
- XV. *Pactum contractui stricti juris in continenti
adjectum inest, non tantum ex parte rei, sed
etiam actoris.*
- XVI. *Contractus metu injustè illato gestus ipso
jure natura est nullus.*
- XVII. *Attestationes in uno judicio legitima rece-
pta, & publicata, fidem faciunt in eadem
causa, & inter easdem personas in alio.*
- XVIII. *Juramentum judiciale ab actore nihil
omnino probante Reo deferri nequit.*
- XIX. *Juramentum contractui à jure ceteroquin
irritato adjectum, eum non confirmat.*
- XX. *Exceptio communis non numerata pecuniae,
etiam post biennium opponi potest.*
- XXI. *Probabilius est, in foro conscientiae ex con-
tractu nasci obligationem ad reparationem
damni ex culpa juridica illati.*
- XXII. *Potest Summus Pontifex directè dispensan-
do in radice Matrimonii, aliquando indirectè
legitimare personas jurisdictioni suae tempo-
rali non subjectas in ordine ad temporalia.*
- XXIII.

XXIII. Legitimus per subsequens Matrimonium etiam in feudis succedit.

XXIV. Superior Ecclesiasticus ex ædibus Clericorum potest, imò debet expellere mulierem, de qua haberi potest suspicio.


XXV. Concilium Trident. SS. XXV. cap. 14. disponens, ut Clerici, qui à suis superioribus moniti, à similibus mulieribus non abstinent, tertia parte fructuum ipso facto sint privati, qui Ecclesie applicari debent, non obligat ad extraditionem fructuum ante sententiam iudicis.

XXVI. Clericus, qui ob cohabitationem mulierum suspectarum, se publicè suspectum reddit, nequit convenire actione injuriarum eum, qui talem Clericum extrajudicialiter suspectum proclamat.

XXVII. Episcopus potest contra Clericos suspectos procedere, absque strepitu & figura iudicii.



X 23 46642



Ag. N. II, 23.
h. 3, 16.

II k
4330

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,
DE
**CONCORDATIS
GERMANIÆ,**

QVAM
CVM POSITIONIBVS CONTROVERSIIS
EX VTROQVE IURE,
IN PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,

EX DECRETO ET AVTHORITATE
INCLYTÆ FACVLTATIS
IVRIDICÆ

PRO LICENTIA
SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES, PRIVILEGIA
ET GRADVM DOCTORALEM
RITE ET SOLENNITER ADIPISCENDI
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORE
AD DIEM XXII. MAJI ANNO M DCC XXXVII. HORIS CONSVETIS
PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT

JOACHIMVS HVNOLD,

INSTIT. CLE. SÆC. IN COMM. VIV. SACERDOS, AA. LL. ET PHIL. MAG.
ECCLES. S. CRVCIS ERFORDIÆ PAROCHVS,

RESPONDENTE
DN. VALENTINO PETZ,
J. V. AVDITORE.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.